& me, & Evangelicos omnes infinitis mendaciis nullâ non paginâ insectari. Vah iterùm Hermanne! vah! Quòd te septuagenario majorem, 45. & amplius annis Professorem non pudeat tam horrendam & plusquàm mille falsitatibus æquipollentem falsitatem contra conscientiam tuam Viris illustribus, generosis, ac prænobilibus in faciem eructare! Digneris, quæso, benigne Lector aperto Volumine meo postulatoque Hermanno interrogare; Num primâ eiusdem voluminis mei paginâ inveniatur mendacium aliquod contra excellentiam suam Tri-Doctoralem? & cogetur ipse negare. Deindè num eadem contineat insuper mendacium aliquod contra *EVANGELICOS OMNES?* Et iterum constringetur respondere negando. Tu verò mox nota duas quoad primam illam paginam commissas à Conringio falsitates; sicque per singulas procedendo habebis earumdem numerum millenario majorem.

FALSISSIMUM est 3. Quòd in sanguinem tuum grassantes *Calumniæ* in volumine meo *omnem* ferè paginam inficiant. Quænam enim sunt istæ calumniæ? cur earum nullam discutere præsumpsisti? aude, aggredere, discute, ut videamus.

Vos interim, perillustres provinciæ Wolffenb. Status eo, quo par est, respectu rogatos velim, ut considerare dignemini, quàm gratum & observantem habeatis Hermannum, cum librum convitiis & falsitatibus undequàq; sordidum VOBIS in gratiarum offerat actionem.

Ob Proœmium suum

Conringius castigatur.

FALSUM 4. est illud: *Eiusmodi* meritorii (Pharisaicè jactantes merita sua) *solent cumprimis in Monachali isthoc* (Franciscanorum) *grege reperiri*: Franciscani enim Sa- *ad pag. 4.*